





Freiherr v. Ende-Miljessnitz.



<sup>22</sup>  
Q. D. B. V.  
COLLEGII PUBLICI  
DISPUTATIO III.

De  
TUTORIBUS ET CU-  
RATORIBUS,

<sup>Ad</sup>  
*Tit. XIII. usq; ad finem libr. I. Institut.*

Qvam,  
IN ALMA FRIDERICIANA,  
SUB PRÆSIDIO  
DN. JOAN. SAMUELIS STRYKII,  
J. U. Licentiati & Prof. Publ.  
Extraordinar.

*In Auditorio Majori  
die 1. April. A. R. S. MDCXCIII.*

publicæ ventilationi  
submitte  
JOHANN. CHRISTOPH. HEROLD,  
Hall, Sax.


-----  
HALÆ,  
TYPIS CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT. BRAND.  
TYPOGR.













respondere ad ex. 1.

Concedo tunc tutelarium esse juris naturalis, ratione  
originis et inventionis, hoc tamen non impedit, quo  
minus dici possit juris civilis, ratione approbationis  
et confirmationis. Arg. ad Th. 1.

Si recte rationis dictamen exiit, cum qui ipse negotijs suis  
praeesse nequit, alteri a pupillis adjuvare sequitur. quod tutela  
essentially, et materialiter sit juris naturalis sive gentium,  
atque verum est prius et posterius. Acto probationem posterius,

respondere ad Th. 2.

ad v. in capite libero, referri quidem ad utroque possunt,  
tutorem et pupillum, recte tamen ad hunc, liber enim  
esse debet a potestate patris et dominica.

Arg. ad Th. 2.

Quoties ratio ac verba legum sunt manifesta, toties  
non urgenda aliqua inversio. Atque in hac definitione  
verba legis sunt manifesta et non urgenda aliqua in

Concedo totum  
respondere negando aliquam hic esse inversionem.

ad Th. 3.

Distingueendum inter perfectionem voluntatis et  
solemnitatis. Perfectio solemnitatis parentibus  
pure singulari est remissa, dummodo de perfectio  
ne voluntatis constat.



Defensio est juris Naturae

Respondet Concedo quod Tutela originem habeat a Jure Naturae, Formam ta-



men specifi-  
cam a Jure  
Civilis acci-  
pit.

Minoris probationem  
peto.

I. N. J.

Th. I.



**Tutelarum Jus non sola appro-  
batione, sed & conformatione, ipsâque essentia,  
Juris Civilis est. Formam enim non à Jure Gen-  
tium habet, sed est vis & potestas Jure Civili data  
& permessa. h. §. 1. ibique Mynsing. n. 10. Heig.  
n. 12. 13. 14. Hottom. h. §. 1.**

Th. II.

Vulgatissima apud omnes controversia est, an verba in defini-  
tione Tutelæ, *in capite libero*, ad Tutorem vel Pupillum pertineant?  
Dubium hoc ex Grammaticis petitum: *in Caput liberum* enim dicen-  
dum existimant, qui, quod & verum est, pupillum his verbis designa-  
ri asserunt. Verum illa transpositio ablativi & accusativi frequens  
in jure nostro est. Ita enim Accusativus pro ablativo occurrit in  
L. 2. §. 31. ff. de O. J. ibi: *in publicum esse*, in L. 4. ff. de fugitiv. ibi: *in custo-  
diam retinere*, in L. 14. §. 11. ff. quod. met. Caus. ibi: *esse in fugam* & in  
L. 42. §. 1. ff. de acqv. hered. ibi: *perseverare in societatem*. Sed abla-  
tivus pro accusativo pariter ponitur L. 12. ff. qui testam. fac. poss. ibi:  
*in hostium potestate pervenire* L. 6. §. 7. ff. de injust. rupt. ibi: *in carcere reci-  
pere*. L. 85. in fin. ff. de Leg. 3. ibi: *conferre sermonem in mortis tempore*.

Th. III.

Pater, præsertim moribus nostris, ubi etiam Testamentarii  
Magistratus confirmatione indigent, extra Testamentum quoque  
perfectum, in quavis ultima Voluntate, imo etiam ab intestato, Tu-  
torem dare potest. arg. L. 2. C. d. confirm. Tut. ibique B. Dn. Brunne-  
mann. Carpz. §. Resp. 85. Schilter. Ex. 37. §. 23. Magdeb. Vol. Ord.  
cap. 43. §. 1. ibi: *Durch dessen letzten Willen* / & §. II. ibi: *Ohne Testa-  
ment/oder andere Verschung* / &c. quæ per Testes juratos probanda.  
Carpz. §. R. 85. n. 13. B. Dn. Brunnem. d. l. n. 4. Montan. de Tutel. c. 8.  
n. 14.

) ( 2





n. 14. quod genus tamen Tutelæ ad dativam refert. *Mev. ad Jus Lubec. Lib. I. Tit. 7. Artic. 1. n. 8. vid. pr. f. de Satisd. Tut. l. 26. §. f. & l. seq. de Testam Tut.*

Th. IV.

Dari Tutelam conventionalem, dictu quidem insolens est, nil tamen refragari videtur, quo minus hanc speciem ex §. 9. *Inst. de Excus. Tut.* derivemus; quamvis nec diffiteamur, de testamentario Tutore verba illa explicari posse. Interim ex jam adducta *Ordinat. Polit. Magdeb.* eadem quoque defendi posset.

Th. V.

Mater, ob defectum Patris potestatis, absque heredis Institutione & Magistratus inquisitione, nec hodie, Testamento Tutorem dare potest. Utrumque enim conjunctim requiritur in *L. pater. 4. §. 4. ibi; mater autem non nisi instituto. ff. de Test. Tut. Borchold, ad §. 3. Inst. de Tutelis Treutl. 2. Disp. 8. rh. 2. lit. C. ibiq; Bach.*

Th. VI.

Tutor FILIIS datus, nepotibus datus non censetur, secus si liberis datus sit; Quia natura filium à Nepote distingit, igitur hic propriam potius & naturalem appellationem sequimur cum *Vinn. h. l. 5. d. Tut. Treutl. d. Disp. 8. lit. C. LIBERORUM* vero appellatione omnes descendentes utriusque sexus continentur. *d. l. 220. d. V. S. Carpz. 3. Const. 20. def. 5. & d. Resp. 29. n. 14. decis. 22. n. 18. Vid. Dn. Parens Tract. d. Jure Represent. Cap. 5. Concl. 19. Datur tamen casus, ubi filiis datus etiam nepotibus datus censetur, de quo vid. *Vinnius in Comment. ad §. 5. Inst. qui Testam. Tut. dar. pag. m. 99.**

Th. VII.

Quamdiu Tutor ex Testamento speratur, alius Tutor dari debet, quamvis legitimus Tutor adsit. Per Text. in *l. si quis 11. pr. de Testam. Tut. & §. sed etsi. f. d. Attit. Tut.* Tutelæ enim onus defertur juxta successorium Edictum ad instar hereditatis. *pr. f. de legit. Patr. Tut. vers. f.* Sicut igitur spes heredis instituti, venientem ab intestato excludit: Ita testamentarius Tutor excludit legitimum, venientem à lege. *Gothofred. ad. d. l. 11. n. 94.* Non igitur locum hic habet *REGULA*: quæ, tutorem habenti alium dandum, prohibet. *Wesenb. ad §. 2. f. qui Testam. Tut. Vultej. ad pr. Tit. 14. n. 4.*

Th. VIII. So-



ad Th. V.

Pergit argumentari generaliter Sny opponens. In hoc Th. V.  
In Grooving casu ratio naturalis militat pro matre,  
contraria Civili non poterit tolli, atqui in hoc casu  
quod mater testamento tutorem dare possit, ratio  
naturalis militat pro matre. Ergo Jure Civili  
non potest tolli.

Probetur Minor. Respondet Negando, potestas dandi  
tutorem non tam dependet a ratione naturali  
quam a patria potestate, mater vero liberis  
in potestate non habet.

Refro. Quomodo ratio naturalis pro matre aliquo  
modo etiam militet, mater tamen tum demum  
paterillum dixerit presumit, si praeterea ipsum  
heredem instituerit. Ex C. 9. ff. de Confir. Tutore  
p. 836. Lex 4ta. Sub Jorem.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs, with some lines appearing to be headings or section markers. The ink is very light and difficult to discern against the aged paper.





### Th. VIII.

Soli Majorenni Matri & Avia tam Maternæ, quam Paternæ, non existente Avo Paterno, virile officium Tutelæ suorum liberorum & nepotum, de Jure Justiniano novissimo, moribus nostris hac in parte recepto, ex Lege defertur, donec ad secundas transeat Nuptias, dummodo inter gesta Scto Vell. omniqve LL. auxilio renunciet; secundis vero nuptiis contractis, à tutela ipso Jure remove- tur, nec vidua facta eandem recipit. Per. text. expr. *Auth. Matri- sum seq. C. quando Mulier offic. Tut. Magdeb. Pol. D. cap. 43. §. 2. vers.* Jedoch daß die Witwe alsdann 25. Jahr ihres Alters erreichet / quod tempus hic majorennitatis singulariter ex Jure Romano in Ducatu Magdeb. receptum est, quamvis alias Curatela & Minorennis ætas in prædicto Ducatu ex Jure Sax. post annum 21. completum finia- tur. Ut patet ex §. 36. cap. 43. *Ordin. Polit. Magdeb.* Adeoq; materna tutela usque ad tempus Majorennitatis suspenditur, & interim tu- tor legitimus datur, ut constat ex seqv. Vers. Dafern sie aber das 25. Jahr nicht erreichet / soll die Verwaltung der Vormundschaft im- mittelst und biß die Witwe das 25. Jahr zurück geleget / der Kinder näch- sten Bluts, Freunden und Verwandten aufgetragen werden. modo non prodigaliter vivat. *Carpz. 5. Resp. 80. Jung. p. 2. const. II. def. 14. Qvz materna tutela non est coactiva, sed tantum permissiva. B. Dn. Brunn- mann. ad L. f. §. f. qui pet. Tutor.*

### Th. IX.

Vigore Novissimi Juris Provincialis Ducatus Magdeburg. Mater absqve contutoribus tutelam liberorum sub clausula **IRRITI** validè non administrat. Per text. express. *Ordinat. Prov. Magdeb. cap. 43. d. §. 2. his verbis:* Auch der Mutter beyhm Antritt ihrer Vormund- schafft ihr einer oder zwo / als Contutores zu geordnet und bestätiget wer- den / welche nebst der Witben / alles verwalten und deren Vermö- gen / so wohl als der Witwen / dafür Unterpändlich haften soll; Gestalt alles dasjenige / was die Witwe in des Unmündigen Sachen vor sich und ohne zu ziehung solcher Person angeordnet / geschlossen / und gehan- delt. vor null und nichtig zu achten ist: *Ratione administrationis honorum feudaliu. Jung. §. 3. seq. & de Jur. Saxon. vid. Carpz. 5. Resp. 80. & p. 2. const. II. def. 12.*



Secundæ nuptiæ sunt juris permiffi / Royo / Non inducunt favorem, ab ipſo concedo totum argumentum, non enim  
Th. X.

Mulier fecundis nuptiis jurato quondam renunciare tenebatur, ſi tutrix eſſe vellet *L. 2. C. quond. mul. Tut. Offic.* quod quidem remiſſum poſtea, per *Auth. Sacramentum C. d. t.* Aula tamen Cæſarea hoc adhuc obſervat, quoties matribus Principum tutelam committit: quale exemplum de Eleonora Maria Ducifſa Mecklenb. adducit Dn. D. Romanus *Diſp. de Tutel. Perſ. Illuſtr. §. 21.* & idem juramentum paucis ab hinc annis a Sereniſſ. Vidua Ducis Olsnenſis & Juliusburgenſis præſtandum fuit. An vero juſtum eſt tali juramento conſtringere vi-  
duas, quæ, dum recens dolor ex obitu mariti eſt, omnes alias nuptias deteſtantur, ſed brevi intervallo novis amoribus indulgent? Affirmativam defendi poſſe putamus, cum ſecundæ nuptiæ divino humanoque jure, favoris expertes ſint.

Th. XI.

Matrem tamdiu tutelam legitimam adminiſtrare, quamdiu ad ſecunda vota non tranſit, vulgatum eſt, eam tamen a Principe impetrare poſſe, ut non obſtantibus ſecundis nuptiis, tutelam liberorum retineat, recte aſſeritur. Imo & amitæ vel materteræ per reſcriptum Principis pariter Tutelam committi poſſe, nullus dubito, arg. *L. fin. ff. de Tutel.*

Th. XII.

Quamquam differentia cognatorum & agnatorum circa ſucceſſionem & Tutelam ſublata, *Nov. 118. C. 4. & 5.* in feudis tamen illa adhuc attenditur, ubi ſoli agnati, non cognati legitimi Tutores ſunt, Schrader. *de Feud. P. 10. Sect. 19. n. 34.* Interim vero nec mater & avia Jure Feudali a Tutela excluduntur; licet enim illæ in feudum non ſucce-  
dant, tutela tamen iis non ratione ſucceſſionis, ſed affectionis de-  
fertur. Roſenthal *de Feud. c. 12. concl. 10. n. 20.*

Th. XIII.

A Maximopere inter Dd. agitata quæſtio: Num Tutela Electo-  
ralis ita præciſe ad ſeniores fratrem, vel, ſi nullus frater extiterit, proximiores agnatum, ſpectet, ut Teſtamento auferri nequeat? Non deſunt pro utraque parte argumenta, quæ ſpecialibus Tractatibus, ſub initium hujus ſæculi, in cauſa Palatina diſcuſſa ſunt. Affirmativa probabilius videtur, propter *A. B. Cap. 7. §. 2.* niſi a Tutela legitima, ob conditionem proximi agnati, diverſitatemque Religio-  
nis



Quod Tutela legitima sit preferenda Testamentary

Quicquid (1) legibus civilibus præceptum (2) legibus Imperij confirmatum, et (3) a majoribus nostris observatum, est illud quod nobis est observandum, atque in Electo, et in Tutela legitima preferendum esse testamentariæ, Legibus civilibus est præceptum, legibus Imperij confirmatum et a majoribus nostris observatum est. Ergo et nos illud observare debemus, seu Tutela testamentaria preferenda est legitima.

Respondit. Minor cum sit Trimenbris, peto probationem quoad singula membra

Res. Probavit Generosus D. opponens minorem, et quidem quod attinet primo, leges civiles, provocat ad legem i. c. de sacra sanctis Ecclesiis. Sed iusto hanc legem, non patrociniarii tuae sententiae, loquitur enim tantum de potestate testandi Ecclesiis permissa, quae antea sub Ethnicis Imperatoribus decretis, uti me docuit Illustris Dominus Styxii sub initium Collegii Publici de Cautelis Testamentorum. Quod alterum attinet membrum leges scilicet Imperij publicas, pretendit auctoritatem Margvarti Felleri,

ad Th. 13.  
H. Lovimur tantum de administratione Alectoraty, non provinciarum hereditarium, cui fumen auctoritatis Bullae, quae lex est Imperij fundamentalis opponimus, quam etiam in Thesi adduximus. Quod tertio concernit exempla, acriter iisdem fuisse conuictum, nemo ignorat, nec desunt etiam pro nostra sententia exempla.



Pergit argumentare <sup>contra eadē Thesin. hinc in 24</sup>  
<sup>dam</sup>

Si semper legitima tutela credit testamentaria,  
sequitur quod etiam tutela legitima Electoralis  
sed et testamentaria, Atqui V. C. P. E. et P.  
respondeo hoc non procedit in iis, quando questio  
est de dignitatibus publicis, quibus per leges  
perij publicam est provisum, jure enim publico  
testator derogare nequit.

Obijcit. Provisio hominis excludit provisionem legis  
respond. fallit hoc axioma si provisio legis  
ante provisionem hominis nata sit, et si pro-  
visio hominis effectum legis provisionis  
tollat.

Porro argumentatur Si nemo melius credit liberis  
consulere et velle et posse, quam pater, sequitur,  
quod tutela Electoralis testamentaria a patre auferri  
non possit a natis, antecedens est Verum E. et Consequ.  
respondeo concedo, si ob conditionem proximi  
a nati periculum quoddam Electoralibus immi-  
neat, quod si non metuerentur, legitima tutela  
obtinere





nis, periculum quoddam Electoratus immineat, vid. Oldenburger  
ad Instr. Pac. P. I. Disc. 25. membr. 2. §. 5. quod sane periculum Carolus  
IV. Aureæ Bullæ conditor, prævidere non poterat.

Th. XIV.

Hodie Tutoris datio non est amplius tam legis, quam jurisdi-  
ctionis seu imperii, quippe unicuique Jure Magistratus competit.  
Immutata enim forma Reip. Rom. moribus nostris omnis Magistra-  
tus ordinarius, habens infimam saltem jurisdictionem Erb Gerichte  
tutores dat. vid. Frantzk. Resol. 17. n. 7. lib. 1. Hahn. ad Wesemb. Tit. de  
Offic. ejus cui mand. est. Jurisd. N. IV. adverb. Tamen legatus, in fin. Vultej.  
ad Inst. de Attil. Tut. §. I n. 10. Hinc immediate Imperio subjectis ho-  
die Camera Imper. tutorem dat. O. C. p. 2. T. 7. Gail. 1. O. 1. n. 42. §.  
48. Petr. Friedr. Mindan. d. process. c. 12. n. 2. §. c. 20. n. 1.

Th. XV.

Judex regulariter non potest dare tutorem eum, qui suæ ju-  
risdictioni non est subjectus. Facultas enim dandi officio Ma-  
gistratus adhæret, adeoque illa non nisi ad eos pertingere potest, qui  
sunt sub illius jurisdictione comprehensi. arg. §. sed hoc Jure 4. §. d.  
Attil. Tut. ubi dicitur, quod Magistratus illi dare debeant, secundum  
suam Jurisdictionem sive territorium, cujus limitibus Jurisdictio  
illorum terminetur; non aliis extra illam constitutis, ut patet ex  
l. 1. §. f. d. Tut. dat. add. l. neq. 5. C. qui dare Tut. poss. l. jus dandi 3. d. tut.  
dat. L. divi. 24. eod. hinc excusare se posse, qui ad tutelam, ibi datus est,  
ubi domicilium non habet, dicitur in l. f. d. excusat. Imo se excusare  
necesse non habet, qui non est subjectus Jurisdictioni L. scire oportet.  
13. §. f. d. excusat. vid. Frantzk. d. Resol. 17. lib. 1. à n. 13. ad 35. Ubi  
contra Schrader. de feud. defendit, quod nec Dominus feudi, qui non  
habet simul jurisdictionem ordinariam in pupillum vel Minorem  
Vasallum, in rebus feudalibus separatim tutores vel Curatores dare  
valeat; nudum enim jus Vasallagii absque juramento subjectionis.  
(quod Vasalli in Elect. Sax. & Ducatu Magdeb. simul præstare tenen-  
tur) subjectionem, quam datio tutoris præsupponit, non impor-  
tat, Rosenthal. d. Feud. Cap. 5. conclusione 69. §. cap. 10. concl. 35. cap. 11.  
concl. 14.

Th. XVI.

Necessitas dandi tutorem adeo generalis est, ut etiam, pupillo  
summe egenti de Tutore prospiciendum, rectissime defendi possit.

XVII. Ju-



Th. XVII.

Judæos Christianorum Tutores esse posse, patet ex *L. 15. §. 6. ff. de Excusat.* Nec habet Paul. Montanus quod metuat *Tr. de Tutel. c. 4. n. 39.* pupillum in fide damnorum; educatio enim Judæo non concedenda. Et frustra etiam hoc abrogatum esse *L. fin. C. de Judæis* statuit Marquard. de Sufanis *de Judæis P. II. c. 7. n. 13.* Quod vero per non Judæos in *d. L. 15.* non Christiani, sed tum temporis existentes sectæ intelligendæ, uti vult Sigism. Finkelthaus *Observ. 84. n. 38.* fundamento destituitur.

Th. XVIII.

Furiis Curatorem dari posse, imo & debere, constat ex *L. 6. §. t. t. C. de Curat. Furios.* an vero hic Tutor magis quam Curator sit, disquirunt? Tutorem magis dicendum puto; frustra enim sunt, qui Furiosos minoribus comparant; nam ne pupillis quidem recte comparantur, sed infantibus annumerantur.

*Sane puto frequenter occurrere* Th. XIX. *Et puto legi in Cicerone*

**MELANCHOLICIS**, si intensior sit melancholia, curatorem dari posse, etiam invitis, non dubitamus, arg. *L. 2. ff. de Ædilit. Ed. §. ibi Dd.* Idem jus circa **FANATICOS** statuendū arbitramur, nam & hi, quamdiu tales sunt, animi vitio laborant, & quasi dementes existunt, *L. 1. §. 10. ff. de Ædilit. Edict.* Ulpianus illos in *d. L. 1. §. 9.* describit: *qui caput jactant, & aliqua profantur: ubi profari, pro prophetare, seu futura prædicere, explicat Budæus ad d. t. p. 252. vel, qui circa fana bacchantur, & quasi dementes responsa dant d. L. 1. §. 10.* Hi quippe, ceu divino spiritu afflati, & æstu quodam mentis perciti, vagari, caput jactare, contorquere, hac atque illac inflectere, furibundorum specie, solebant, *Briffon. Lib. 2. Select. Antiquitat. cap. 13.* Virgilius sub persona Sibyllæ Cumeæ illos describit, lib. 6. *Æneid. vers. 46.*

*Cui talia fanti*

*Ante fores subito, non vultus, non color unus,  
Non compta mansere coma, sed pectus anhelum,  
Et rabie fera corda tument: majorque videri  
Nec mortale sonans, afflata est Numine quando  
Jam propiore Dei.*

A Fanaticis (de quibus plura Dionys. Gothofred. in not. ad *d. L. 1. §. 9.*) Dæmoniacos, contra Budæi opinionem, distinguit Paul. Zachias

*Quæ-*



Contra Ch. 18.

quod furioso potius tutor quam Curator dandus sit,  
Quod cumq; contra jura statuit, illud non est statuendum  
atq; quod furioso potius tutor quam Curator dandus sit  
contra jura statuit, & Non est statuendum.

Peto probationem Minoris.

Responsio. Quia furiosi non minoribus possunt comparari  
sed infantibus, qui nullo rationis usu sunt, hoc dicitur  
& Non Curator sed tutor ipsis est ad iungendus.

Pergit argumentari Nobilissimus Dns Opponens contra Thesin  
19. in qua statuitur, quod Melancholicis et  
FANATICIS dandus sit Curator.

Quicquid in jure non est fundatum, illud juri non est  
affertendum, haec assertio nostra in Thesi decima  
nona, non est in jure fundata. & Duri non est affir-  
genda.

Peto probationem Minoris

Respondes limitando Majorem. Quicquid in jure  
non est fundatum (Limito) neque per expressam  
dispositionem, neq; per argumentum ex jure potest deduci  
sic nego Minorem, quoad posterius Limitationis mem-  
brum, seu quod nostra sententia non possit per  
argumentum ex jure deduci.

Non expressis verbis habet nostra sententia  
in jure, sed tamen per bonam consequentiam  
ex eo potest deduci (quia animi vitio laborat  
& quasi dementes existunt).







Bl.  
tina  
vini  
+ bil  
de  
is  
ndi









*[Faint, mostly illegible handwritten text in a historical script, possibly Latin or German, covering the majority of the page.]*

ff  
bli;  
tina  
vini  
+ bil  
de  
is  
ndi.





Quicumque in quod agit intelligere ac velle et consentire potest,  
ille naturaliter obligatur. Atq. Pupillus, id quod agit intelligere  
velle et consentire potest, E. Pupillus, pubertati proximam  
peto probationem minoris Imprimis quoad ultimum membrum,  
Pupillus enim ob defectum potestatis de bonis suis disponendi  
consentire non potest.

et. 2.

Quicumque solutione liberari dicitur naturali obligatione,  
ille antea naturaliter obligatus esse debuit.  
atque Pupillus pubertati proximam solutione liberari dicitur  
naturaliter obligatione E. Pupillus pubertati proximam  
antea naturaliter obligatus esse debuit.

Probat Minor. probatur E. L. 21. sed legem falcidiam  
respondet. In hac lege agit de pupillo ~~se~~ qui factus  
est locupletior, quem casum ipsimet nos in thesi ex  
primam.

et. 3.

Si illud quod pupillo sine auctoritate tutoris promissum,  
novari potest, sequitur pupillum naturaliter obligari  
posse, atque verum est idem E. Past.

Peto probationem prioris. Probatur E. L. 1. §. 1. f. de. Nova  
tionibus delegationibus. pag. 1693.

Respondet. Non obligatur pupillus ex novatione ratione sui,  
sed utriusque ex personis, adeoque vocatur naturalis obligatio,  
tis non respectu pupilli, sed ratione alterius.

et. 4.

Cuiuscumque obligatio in alterum transferri potest, ille etiam potest  
obligari, atque pubertati proximam obligatio naturalis, in  
alium transferri potest, E. pubertati proximam ipse naturaliter  
obligatur.

Probat Minor. Nego consequentiam Majoris.  
Respondet. Invertit argumentum. Obligationem nullam obligationem  
actus naturalis, ibi etiam in alium nulla potest transferri, atque  
in pupillo nulla est obligatio naturalis. E. non potest in alium  
transferri.





Ubi cum aqua una naturalis obligatio adfit necesse est, Atque ibi adfit  
ibi ipsa naturalis obligatio adfit necesse est, Atque ibi adfit  
intellectus et voluntas. Eius adfit una requisita naturalis obli-  
gationis.

*Questio. Medico Legal. lib. 2. tit. 1. qv. 19. n. 9. & 10.* Fanatici enim hi so-  
lum dicebantur, qui vel ex supernaturali, vel ex naturali causa, per  
vices quasdam futura vaticinantur, vel vaticinari videntur, & extra  
mentem rapi, quod, quia in fanis, h. e. templis eveniebat, fanatici  
appellabantur. Cum autem hi intermissiones habeant, nec semper  
caput jaçant, & futura prædicant, quo tempore etiam fanis illos an-  
numerat Ulpianus, d. L. 1. §. 9. hinc nec hujus interstitii tempore cu-  
ratorem habebunt.

Th. XX.

Exemplo legitimæ Patronorum Tutelæ, & Dominum defici-  
entibus Vasalli impuberis agnatis, & Principes confratres, & simul-  
taneæ investitos, Tutores legitimos esse, eadem interpretatione Le-  
gis extensiva, statuimus.

Th. XXI.

An non occasione tituli *de Legit. Patron. Tutel. Nobilis*, qui Ru-  
sticum seu proprium hominem manumisit, si hic sine herede dece-  
dat, ipsi ab intestato succedere possit, dubitari quidem, sed non af-  
firmari potest.

Th. XXII.

Veritati adversum non est, proprium hominem a Domino Tu-  
torem filii sui constitui posse, ex illo tamen non ducendum conse-  
sequens, eundem &, quod in servis olim contingebat, libertatem  
consequi.

Th. XXIII.

Pupilli, etiam pubertati proximi, si ipsam pupillorum perso-  
nam respicias, ne quidem naturaliter obligantur, nisi in quantum lo-  
cupletiores facti sunt. Per text. expr. L. quod pupillus 41. de condiçt. indeb.  
ibi: quia nec natura debet i. e. nullo jure, ne quidem naturali & Gen-  
tium. Junct. L. pupillus 59. ibi: ne quidem jure naturali obligatio ff. d.  
O. & A. hic enim naturalis obligatio in se ipso jure Civili improbata  
est: B. Dn. Brunnem. add. l. 41. & 59. Franzk. d. condiçt. indeb. n. 43.  
secus si factus sit locupletior, L. naturaliter 13. §. 1. ff. de condiçt. in deb.  
A. Barbof. lib. 10. c. 29. Ax. 25. Carpz. 2. c. 11. d. 44. Ubi præjudicium Dn.  
Seab. Lips. refert. Secus etiam respectu expromissoris. B. Dn. Brun-  
nemann.

B



nemann *addict. l. pupillus 59. d. O. & A.* utpote, cui præsertim hoc casu non competit excussionis beneficium. *L. Marcellus 25. d. fideijuss. Carpz 2. c. 18. d. 8. n. 4. Jung. Magdeb. Pol. Ordnung/ cap. 53. §. 3. & 7.*

#### Th. XXIV.

Pupillo in re, suâ pecuniâ, à tutore, suo quamvis nomine, empta, ex speciali favore dominum & utilis acquiritur vindicatio. Arg. *L. Ex facto 52. vers. Plane si ex re pupilli ff. d. pecul. arg. L. si ut proponis. 8. C. de Rei vind. ibique Gothofred. l. Si Curator. 3. C. arbitr. Tut.* Tutori enim legibus interdictum est, ne pecuniis pupilli absque Magistratus decreto, vid. Excell. Dn. Stryk *d. Cautel. Sect. 3. C. 2. §. 5.* in propriam convertat usum, *L. Lucius. 46. §. Tutorem ff. d. adm. Tut. & ipsi ex officii necessitate incumbit, ut pupillarem pecuniam in emtionem prædiorum collocet. l. ita 5. pr. ff. d. adm. Tut. l. 7. §. 3. ff. & l. 24. C. Eod. Excell. Dn. Stryk. d. c. 2. §. 3. Carpz. 2. c. 11. d. 22. & 23.* ad excludendam igitur præsumptionem Culpæ, jura præsumunt, tutorem potius utilitatem pupilli, quam propriam, quæsiuisse. *l. merito 51. ff. pro Socio. Carpz. p. 2. const. 11. def. 21. ubi præjudicia Dnn. Scab. Lips. refert. Finckelthaus, Obs. 39. qui præjudicia Facult. Jurid. Lips. habet.* Si verò res ab alio, quam tutore, pecunia tamen pupilli, comparatur, tunc pupillo, æque ac minori, competit in ista re jus taciti pignoris, *per l. Idemque 7. qui potior. in pignor. ibique Gothofred. n. 56. Carpz. p. 1. C. 28. def. 109. n. 6. 7.*

#### Th. XXV.

Minor annis de Jure Civili XXV. vel de Jure Sax. in Ducatu Magdeb. hac de re recepto, XXI. Curatorem habens, absq̃ ejus Consensu *personam* quidem suam obligare potest, læsus vero restituitur in Integrum, sed si de *rebus* suis aliquid disponit, contractus alienationis ipso jure nullus est, adeoq̃ hoc casu nec Prætorio restitutionis beneficio indiget. De personali obligatione extat *L. Puberis 101. d. V. O. ibique B. Dn. Brunnemann. & cit. Dd.* Curator enim rei, non personæ datur. *§. 2. f. d. Curat. §. 4. f. qui Testament. Tut. dant.* obligatio verò Jus non rei, sed personæ est, & à sola dependet persona, *pr. f. d. Oblig. L. obligationum. 4. d. O. & A.* Jusq̃ contrahendi seu obligandi rerum negotiorumq̃ administrationem  
non











non concernit, Ergo Curatoris, quoad contrahendum, seu obligandum, Consensu opus non est. Quod si tamen exinde laeditur Minor, tunc opitulationem suam promittit Prætor. *L. I. in fin. d. Minorib.* vid. Dn. Stryk. in *Tractat. de Cautel. Sect. 1. Cap. 2. §. 21.*

Th. XXVI.

LL. Dd. a tutela olim non excusabantur, nisi vel Romæ docuerint, quod hodie ad omnes Academias, Imperatoris auctoritate institutas, extenditur, vel in Consilium Principis assumpti *L. 6. §. 12. & L. 30. ff. de Excus.* quod jure meritoque ad Professores industrios, & actu legentes, restrictum a Modestino in *d. l. 6. §. 4. ff. eod.* Interim tamen adeo generaliter hoc beneficium concedendum Dd. esse, non existimo, quæquam id statuere videatur Dominic. Maria de Braccacinis in *Tract. de Jure Doctoratus l. 3. c. 2. n. 19.* Si enim LL. Doctor ab aliquo Collegarum nominetur Tutor, cogi eum posse ad Tutelam suscipiendam, verosimile mihi videtur arg. *L. 23. §. 1. ff. de Excusat.*

Th. XXVII.

Non à Tutelæ datione, sed ab excusationis rejectione demum hodie appellari potest. Per text. *exp. l. 1. §. 1. quand. appell. l. 13. in f. pr. de Excusat.* Quamvis enim Olim per viam appellationis excusatio procedebat, ut patet ex *L. Cum in una 17. §. 1. d. appell. l. tutor. 20. d. adm. Tut. l. 2. si Tut. vel Cur.* Hodie tamen ex Constitutione Divi Marci sine appellatione causæ excusationis allegari debent, quæ si fuerint repulsæ, tum demum à rejectione provocare licet. *l. 1. §. si quis. ff. quando appell. necess.*

Th. XXVIII.

Tutores ex judicato, de restituenda re deposita contra pupillum lato, ob proprium factum illicitæ alienationis rei depositæ contra Judicalem inhibitionem & promissam indemnitate tenentur, donec effecerint, ut vera æstimationem rei depositæ in pristinum revertatur nexum, etiamsi æstimationem rei depositæ in usus pupilli converterint. Tutores enim ex facto receptionis & constitutionis propriæ tenentur rem depositam, vel ejus veram æstimationem surrogatam in pristinum depositi nexum restituere *L. post mortem 1. §. 5.*



§. 1. ibi: *SVO NOMINE* : ff. quando ex facto Tut. ibique B. Dn.  
 Brunnemann. n. 7. alias officium suum egressis, sponte se obli-  
 gantibus à Præatore subveniri non debet L. 43. §. 1. & adm. Tut.  
 Jung. l. quædam 2. C. si Mater indem. promis. ibique B. Dn. Brunnem.  
 tenentur enim de erogato pretio quod ad eos pervenit, namque  
 hoc ipso dolo, faciunt, quod id, quod ad ipsos pervenit, re-  
 poscenti deponenti non reddant. L. 1. §. 47. depos. Tutores quip-  
 pe nomine pupilli actione depositi conventi, tenentur statim bo-  
 nam agnoscere fidem, & rem vel æstimationem rei depositæ po-  
 tius restituere, quam supervacaneam litem suscipere. l. 9. §. 6. d.  
 adm. Tut. l. 6. & l. 11. C. eod. L. 78. §. 2. de leg. 2. vid. Excell. Dn. Stryk.  
 d. caut. f. 3. c. 2. §. 15. & Berlich. decis. 13. n. 9. ubi Dn. Scab. Lips. senten-  
 tiam refert. Nec obest, quod tutores, eam pecuniam non in usus  
 suos sed pupilli convertissent, idque probare offerebant, B. Dn.  
 Brunnem. ad d. l. 5. quand. ex facto Tut. num. 5. Mev. p. 4. decis. 122. ubi  
 ita in summo Tribunali Regio Vismar anno 1656. judicatum fuisse refert.  
 Et ita Dn. Jct. Jenens. d. 1. Jun. 1689. daß die Vormunden den Werth  
 aus Ihren eigenen Vermögen billich zu versehen / Item Dn. Jcti  
 Helmstad. d. 17. Septembr. 1690. daß die besagt. Vormundere mit  
 dem angetretenen Beweisen / daß das Geld nicht in der Vormundere /  
 sondern in der Unmündigen Vermögen verwendet worden / gestalten  
 Sachen noch nicht zu hören. B. N. W. ad Acta Cancell. Ducat.  
 Magdeb. in contradictorio, in causa quadam satis intricata, de ju-  
 re responderunt.


Th. XXIX.

Suspectus Tutor à Tutela ob culpam latam remotus, an  
 infamis fiat, propter L. Quod Nerva 32. ff. depos. in diversum abe-  
 unt Dd. Nos æquiore sententiam sequuti, negative quæstio-  
 nem decidendam arbitramur: quicquid etiam contra molia-  
 tur Bachovius ad Treutl. Vol. II. Disp. 9. tit. 4.  
 lit. G.

S. D. G.

quia iuris de culpa indefinite est sermo,  
 culpam etiam latam excipere arbitror.






























00 A 6454

ULB Halle 3  
002 935 880



sb.

Wort









<sup>22</sup>  
Q. D. B. V.  
COLLEGII PUBLICI  
DISPUTATIO III.

De  
PRIBUS ET CU-  
TORIBUS,

*Ad*  
*sq̄ ad finem libr. I. Institut.*

Quam,  
ALMA FRIDERICIANA,  
SUB PRÆSIDIO  
N. SAMUELIS STRYKII,  
Licentiati & Prof. Publ.  
Extraordinar.

*In Auditorio Majori*  
*I. April. A. R. S. MDCXCIII.*

publicæ ventilationi  
submitte  
CHRISTOPH. HEROLD,  
Hall, Sax.

HALÆ,  
HORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT, BRAND,  
TYPOGR.

